



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

16. Dies Julii. Memoria, est vis animæ, accepta retinens, præterita repetens, elapta recolligens. S. Augustinus de Spirit. & Anim. c. 37.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

16. DIES JULII.

Memoria, est vis animæ, accepta retinens, præterita repetens, elapta recolligens. *S. Augustinus de Spirit. & Anim. c. 37.*

Memoria I.

A Laude Prudentiæ ad octo-
 jus partes integrantes; quorum beneficio, octo Beatitudines facile consequi poterimus, oratione sumus prolapsi. Hæ sunt, Memoria, Intelligentia, Docilitas, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, Cautio. Memoria est præteritorum, qualia sunt experientiæ variæ, dissimiles eventus, res benè gestæ, vel quæ ob hominum imprudentiam, & temeritatem, luctuosissimo aliquo fine terminatæ fuerunt. Quo referuntur, monita sapientum, consilia exquisita, prudentium responsa, legum voces, historiæ annales, Patrum sententiæ, præterita studia: quorum opportuna recordatio, ad Prudentiæ florem plurimum juvat. Romani veteres pinxerunt Prudentiam vultu triplici; ut quæ tria potissimum tempora, præteritum, præsens, futurum complecteretur. Ad præterita sese explicat Memoria, respiciendo; ad præsentia verò Intelligentia, inspicendo; ad futura, Providentia, prospiciendo. Prudens itaque, præterita cogitat, præsentia ordinat, futura providet. In tria hæc tempora, vita dividitur, quod est, quod fuit, quod erit. Ex his, quod agimus, breve est; quod acturi sumus, dubium; quod egimus, certum. Homo prudens, præteritorum meminisse, agere præsentia, futura cavere debet. Sed pau-
 cis hîc de memoria.

II. In Memoria, est præteritarum rerum firmum quoddam, & stabile domicilium, ac locupletissimus thesaurus, in quo ad omnem diurnitatem tutissimè impressa, ac fidelissimè signata rerum innumera- bilium vestigia, ac simulacra reconduntur, ac con- servantur: quæ collapsa, cùm ex intervallo recur- runt, vim hanc Reminiscentiæ, Recordationem ap- pellant. Accipe nunc fertilissimos fructus, velut ex cornucopia, quos Memoria profert. Quis se non modò fœlicem, sed propè beatum in hac vita existi- maret; si in rebus incertis, cùm deliberat, in dubiis dum ambigit, in obscuris dum cœcutit, in perplexis cùm timet, haberet semper ad manum virum ali- quem carum, prudentiâ excellentem, consilio præ- stantem; qui & obscura clarissimè elucidaret, & per- plexa facillimè enodaret, & dubia certissimè explica- ret: qui denique in omni eventu quid agendum es- set, quid omittendum, aperiret? Parum dixi, quid, si non in Provincia, in qua vivis, non in urbe, in qua degis; non in domo, in qua habitas; sed in musæo, in quo studes; in ipsis penetrabilibus ædium tuarum haberes pro voto tuo concilium omnium præstan- tissimorum Heroum; quos tota posteritas vel admi- ratur propter Prudentiam, vel veneratur propter Virtutem. Si in illo concilio, cùm de rebus Medicis consuleres, Galenus, Hipocrates, Avicenna; cùm de Bellicis, Alexander, Cæsar, Hannibal; cùm de Civi- libus, Plato, Cato, Solon; cùm de Philo sophicis, So- crates, Pythagoras, Aristoteles; cùm de arte Orato- ria, Tullius, Demosthenes, Hortensius; & ita sin- gularum scientiarum selectissimi forent Antistites, nonne securissimam vitam agitates?

Mm 3

III. Quod

III. Quod tibi est in voto, habes in manu; tale Concilium, vel potius theatrum potes Memoria beneficio obtinere; quia, quandoquidem præteritis ferè respondeant sequentia, cum eadem jam sit Natura, idem naturæ Auctor, eadem naturæ causæ, eundem naturæ homines, eadem Dei providentia, ex præteritis intelligemus, quid sit in præsentibus atque adeò, hinc etiam futura quis poterit providere. Hæc sententia est D. Antonini: (a) *Qui memoria altius repetierit hominum congregationes, exercituum, agriculturas, nuptias, pacta, ortus, interitus, iudiciorum turbas, regionum vastitates, barbarorum gentes, ferias, ludæas, nundinas: in summa, qui colluviem rerum, & ex contrariis præteritorum compositum æternum, tantasque imperiorum mutationes revolvent; etiam futura prævidere poterit. Quippè, eandem habent cum præteritis formam, neque alio possunt modo fieri. Itaque etiam idem est, quadraginta, an decies millium spatio annorum vitam humanam examines; nihil enim amplius videbis. Sic ipse. Itaque vivunt beneficio Memoriae mortui; adsunt nobis absentes; proximi nobis sunt maximo terrarum intervallo sejuncti. Unde prudenter dixit Seneca: *Qui nihil de præterito cogitat, vitam perdidit.* Addo, erit in vita hominis perditæ vitæ. Cave igitur ab iis, quæ Memoriae vim hebetant; quæ teste Poëta sunt hæc:*

*Ebrietas, somnus, tempus, dementia, morbus,
Tollunt de mentis cista, quæ noverit ista.*

(a) L. 7. n. 37.